



Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen

...

... Tomus Divinus und fürnehmlich das Evcharistiale, Das ist: Lehrreiche Predigen Auff verschiedene hohe Fest deß Drey Einigen Gottes/ und Jesu Christi unsers Herrn ...

Barcia y Zambrana, José de

Augsburg, 1720

Dedicatio Interpretis. Deo Evcharistico. Pani Divino. Cibo In Terris Cælesti. Sacerdotum, & Regum delicio. Humani Cordis Regi humanissimo, Vivo Morientium Viatico, sub Parvo Immenso, Invisibili, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76523)



DEDICATIO INTERPRETIS.

DEO
EVCHARISTICO.
PANI DIVINO.
CIBO IN TERRIS CÆLESTI.

Sacerdotum, & Regum delicio.

Humani Cordis Regi humanissimo, Vivo Morientium Viatico, sub Parvo Immenso,
Invisibili, & Pulcherrimo, Miraculorum compendio,

Amorum Amori.

VERBO INCARNATO, ET CONSECRATO,
Ineffabili, & minimè muto,

JESU MEO
IN FINEM DILIGENTI, SINE FINE DILIGENDO.



Ad aram, divini pedis tui scabellum, supplex advolvor, Augustissime, summeque adbrande JESU, Te Tibi oblaturus, Verbum nempe verbo. Sed enim quibus verbis? Dedicatio- nis, vel consecrationis? Interpretati- onis, vel versionis, & mutationis? Equidem consecrationis tuæ verbis quotidie utor; sed heu mihi! mutationis meæ verbis non utor! ODEUS virtutum, verbis tuis in manu mea mutatur panis, & lapis non mutatur in corde meo! Verum plangam aliàs hunc dolorem meum; jam ut interpres ad Te venio. Quamquam & hoc peperam etiam, & ineptè, siquidem neque ignorantia, neque ignorantia subsidio interpretationi ullus apud Te locus. Ajunt, Regem fuisse plus quam viginti (A) gentium Dominum, quarum omnium linguas novit, absque Interprete cum singulis locutus. Fuerit is talis per me. At tu cordis humani Rex humanissime, non gentium duntaxat, sed & (B) *Stellarum multitudinem numeras, & omnibus eis NOMINA VOCAS.* Ita prorsus Tu nomina vocas animabus illis, quæ eundem in morem Numinis, sicut stellæ luminis sunt *communicantes.* Nam sicut stellæ quævis etiam minima universam terram multoties major est, ita & hominis te, quem ipsi (C) *cali calorum capere non possunt,* capientis animus totam terram major sit, oportet. Stellæ in nocte præcipue fulgent, & communicati luminis ope super caliginosa sordidaque humo sine labe, & macula decurrunt: ita & hic in nocte fidei in supremi Numinis communionem charitas (D) effulget, pietas magis emicat gratia plus radiat, & sic sæculi hujus caligo, & cænum inconta-

(A) Midnitates: Rex Inchyus viginti quinque gentium, quarum omnium linguas percalluit, easque pro concione singulas absque interprete allocutus. Gell. lib. 17. Noct. Attic. cap. 17. Drexel. Autifod. p. 1. cap. 2.

(B) Psal. 146. v. 4.

(C) 3. Reg. 8. v. 27.

(D) In Sacramento pretiose Mortis, quod humane blanditur infirmitati. In hoc enim charitas præfulsit, pietas magis emicuit, gratia plus radiavit. S. Berni. serm. in can. Dom. in medio mihi fol. 187. B.

minatâ

DEDICATIO INTERPRETIS.

minatâ semitâ pertransitur. Nihil cælo vicinius, magisque inhærens stellis, nihil cælis, cælorumque Domino propinquius, magisque unitum sapius, & dignè *communicantibus*. Atque his omnibus stellis (quasi populis tuis) magnitudine, & claritate tam variis, & juxta proportionem vel dispositionis, vel ordinis tam inter se diversis tu æternæ sapientiæ Rex nomina vocas: id est, ita clarè in sacra communione unicuique ritè disposito ad cor loqueris, perinde atque si nos quempiam proprio nomine, quod utique notissimum cui libet est, compellamus. Etenim ejusmodi Tu cuivis in *calculo hoc candido* nomen das, & quidem *nomen novum, quod nemo scit, nisi, qui accipit*. Plures hac in re testes, quàm stellas adduxerò. Quos omnes ad aram vel maximè verbis vitæ, quæ verissimè in Augustissimo hoc mysterio apud Te sunt, allocutus es, & indices alloqueris (E) absque Interprete. Fugit enim nomen illud interpretem, eò ipso, quòd inter dantem, & accipientem tertii notitiam non admittat. Et tum quidem bene, & optimè, nihilque in terris beatius, quàm si tu in ad aram solus soli loqueris: tunc faces, tunc flammæ, tunc incendia, tunc *PIA DESIDERIA*: Adeo, (F) dicit non infrequenter aliqua, *nec flammæ mens capit ipsa suos*. Et tum prima certè nota fuerit remeritas, si quis in istiusmodi soliloquiis in Interpretis provinciam ingerere se velit. Hic ego ipse *adjuro vos, filia Jerusalem* (id est, omnes etiam piæ, & devotæ aliàs exercitationes) *ne suscitatis, neque evigilem faciatis dilectam*. (Et super te dilectum suum Deum Evcharisticum innixam) *donec ipsa velit*. Itaque interpreti minime coram te locus. Sed enim dissimulanter non raro agis, & ipse quoque sol Evcharisticus sæpenumero sub nube latet. Qua in re insignis Tui (G) imago est Josephus ille in Ægypto rei frumentariæ dispensator maximus. Venere ad eum prima, secunda, & tertia vice fratres ejus *tritici* comparandi gratiâ. Et illi quidem humili prece adoraverunt eum: & ipse agnovit eos; & nihilominus non tantum dissimulavit se totum, sed & *durius loquebatur* ad eos, quasi ad alienos; & quidem non suis verbis, sed *per Interpretem*. Et licet illi compuncti, confessisque dixerint: *Merito hac patimur, quia peccavimus*; Joseph perinde tamen avertit se ab eis, quasi non intelligeret. Tandem verò (usque adeo etiam vel ad figuram tuam accedere proficuum jam dudum fuit.) Simeonem quidem ligavit, ut redirent, triticum autem dedit, & cibaria, ut ditati abirent. Simili modo & Tu, O Orbis nostri delictum? nobiscum sæpe sapius agis. Nempe *quia peccavimus, locutus est nobis DOMINUS TERRÆ* (H) *durè*. Atque non nisi post iteratum reditum, & adducto oblatoque Beniamin loquitur os tuum ad nos. Prima, & altera vice, id est *incipientibus, & proficientibus* per Interpretem; & non nisi tertio reversis, id est *perfectis* (trinum enim perfectum) os ad os loqueris. Itaque quandoque, immò, quia ferè semper ineptos invenis, pene etiam semper dissimulanter, & durè agis, quasi ad alienos. Tum verò lamenta, (I) gemitus, & sapissimè etiam *trædia*,

Cornel. à Lapid. in Genes. cap. 1. v. 16.

Apoc. 2. v. 17. Barz. hic serm. 23. n. 12.

(E)

Sermo ille non est sonans, sed penetrans: non loquax sed efficax: non obstrepens auribus, sed blandiens affectibus. Sermo ille non popularis, sed angularis, & privatus. Non sonat in foro, non auditur in publico: secretum consilium, secretum querit amicum. S. Bern. ubi supra fol. 188. post. C.

(F)

Herm. Hug. in piis desid. lib. 4. Eleg. 15.

Cant. 8. v. 4.

(G)

Hic est Christus, qui nobis præparabit mandulam pro cibo, scilicet Evcharistiam, in qua sunt omnia bona. S. Bonavent. in Bibli. Seraph. n. 1860. Barzia hic serm. 34. n. 9, & serm. 33. n. 2.

Genes. 41. v. 12.

(H)

Multis itaque audientes, non ex INIMICIS sed ex DISCIPULIS ejus dixerunt: DURUS est hic sermo, & quis potest eum audire? S. Aug. tract. 17. in Joan.

(I)

Quo precor hanc ransam merui pro crimine panam.

juxta

DEDICATIO INTERPRETIS.

juxta atque inedia. Tali ergo tempestate bonum est animæ, si Te tacente saltem Interpretem fidelem inveniat: Bonum est dilectæ, si invenerit vigiles; aut certe inveniat ab eis, quos de sponso non intuta interroget: bonum est devotæ menti, si ferventi adhortatione excitetur, & apto consilio erudiatur. Insigniter hac in re enituit missus ille à te *Excitator*, inter Ecclesiæ vigiles vigilantissimus, Author, & Doctor meus. Advigilavi & ego nonnihil (imò nihil) totus quippe alioquin quantus *Dormitantius*. Nimirum (ut verum quidem ingenuè, utur adversus me ipsum fatear; tua verò pietissima Majestas ignoscat, & lethargum illum meis viribus tam ineluctabilem à me avertat) ego ipse altum dormiens alios minus profundè dormitantes vel ronchifando excitare laboro. Ea quippe tua est bonitas, *O Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum?* ut veluti verus sol justitiæ non in splendida duntaxat crystallo sed in lutulenta etiam cloaca refulgeas. Non solum in *Leone*, sed & in *Tauro*, ac *Scorpione* rutilas, O lux mundi, & splendor lucis aternæ! Et in cælis quidem à facie ad faciem; hic in terris verò non nisi in (K) ænigmatate emicas; ubique tamen non alienis, sed tuis radiis. Ut proin alter Prometheus jurè arguar, si tuos tibi radios subtraham, & alteri cuidam vali luteo infundam, dedicem, & adscribam. Et verò non me solummodo, sed & Te ipsum Tibi debeo; quòd enim in altari toties meus es, id donum tuum est. Arare natus fui, & stivam torquere; tua verò clementia, nescio quibus viis, è mediis fratribus, qui hodie dum arant, ab aratro (L) ad aram me evocavit, & pro ligione calamum, pro stiva stilum in manus inseruit. Et quid retribuam? O mea bonitas! Quid dabo pro Te tibi? Nunquid Te ipsum, & ea omnia, quæ in hisce versionis meæ lucubratiunculis de Te continentur. Calicem tuum à Te accepi, calicem tuum Tibi retribuam. Hæc igitur Tibi JESU mi amabilissime dedico, & adscribo, unaque incoeram contrito animo protestor, quòd hic vel maximè tui, meique memor *commissa mea*, imò penèque magis omnia mea *pavesco*: & ante te in ara præcipuè, dum coram te stò, *erubescò*. Atque adeò aliud non est, quòd efflagitem, quàm, *dum veneris judicare, noli me*, propter Te *condemnare*: sed potius nunc, & in æternum fave fatenti reo.

*Ut velut indignans ora videnda neges?
An, quia peccavi, vultu frustraris amantem?*
Herman. Hugo lib. 1. Eleg. 7.

Cant. 3. v. 3.

S. Bern. ubi supra:

Malach. 4.

(K)

In ænigmatate, id est figura panis. D. Thomæ opusc. 58. cap. 8. Barz. hic term. 27. n. 15.

(L)

Joannes Buzæus Soc. Jes. lib. de regimin. rusticor. in præfat. mihi apud Menoch. Stor. centur. 7. cap. 55.

M. F. I.

[b]

CEN-